









1747.

1. Brokes, Henricus: De iure pecuniae hereditatis alii  
mi personis fidelis solventur
2. Brokes, Henricus: De usupcta patris in bonis literarum  
maxime fidelibus.
3. Brokes, Henricus: De bonorum conjuges inter Haem.  
burgios communione
4. Brokes, Henricus: N. c. quod juris est. Cetera probatiorum  
et demonstracionum in foiss. Saxonici 2. Scatt.
5. Buderus, Christianus Gottlieb, Fec. p. prudicamus:  
Programma, que Dr. Gottlieb Loeschen. . . . Dissertatio.  
num in quo. . . . indicatur.
6. Buderus, Christianus Gottlieb: De ordinacionibus  
politiae et iurisprudientia Saxonum Saxonicis Dues.  
tineat Ducam.
7. Buderus, Christianus Gottlieb: De ordinacionibus conside.  
ratis et ecclesiasticis Saxonum Saxonicæ Præstum  
Ducam.

1747.

8 Denitz, Stephan Wiener, dī: *Ves tria Tragorum Reckes der  
Adeliden in Mecklenburg. (Thal)*

9, 6, c, 8. et 9. Engarius, Dr. Rudolphus i. Teubrosam, quod Gräfin,  
= Lüder - Brüder, Peterlenfer, Erbbücher i. Hebe. Register  
dicere solent, forma, continuatione, renovatione, figura / 3  
varia. 2 Bauspl. 1747 i. 1750.

10, 6, f Engarius, Dr. Rudolphus: *De iunctus in dignitatem* ~~de-~~  
*Gomaricarum* 2 Bauspl. 16

11. Engarius, Dr. Rudolphus: *De implemento conditionis  
potestoriae contractibus eponstae legitimis.*

12, 6, c Engarius, Dr. Rudolphus: *De societate mercatoria* 17  
3 Bauspl. 1747 i. 1757.

13. Gmucius, Iohannes Ernestus: *De motis et operibus ius in  
re et presertim dominium secundum principia juri  
naturalis part. I.: De jure in re nostra et aliena; cui  
praemissis: tractatio metaphysica: De actionibus liberis*

1787.

14<sup>o</sup>.<sup>7</sup> Heimburgius, Iwanus Lipsius : Academatus fisci et consule  
quendam personam, quam reus incovit, pecuniam processum  
apud habeat? Programe, circulatio in ang. . . .

Ivan. And. Hoffmanni . . . . premissum. Exempl

15. Heimburgius, Dr. Lsp. : De spacio usuarium absque  
et presentia spiritus interiorum usuarum solutionis effe-  
ctibus.

16. Heimburgius, Dr. Lsp. : Fai. pro ex Decanu : Ne spacio  
non restituenda. Programe I, circulationi in ang. 1 Feb.  
hunc Christianus Ruchenecker . . . . habendae pre-  
missum.

17. Helpepe, Iwanus Augustus : De restricta Illustrium ciuium  
facultate maxime quoā allodia uita . . .

18. Kaltsohnied, Coriolus Fides : De distinctione inter  
factum animatum et non animatum

19. Schmidius, Paulus Wilhelm : De officio et prudentia  
iudicis circa amicabiles utram compositionem

1747  
Dr. Schreiber, Gottlieb Hartmann: De legibus naturae absolute  
necessariis

*22*

1747, 5  
6

# CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI

SERENISSIMORVM SAX. ERN. DVCVM CONSIL. AVLICI  
IVRIS PVBLICI FEVDALIS ET HISTOR. PROFESS.  
FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORIS

ET H. T.

PRO - DECANI

## PROGRAMMA

*A 329*  
Q V G  
NOBILISSIMI  
SVMMORVM IN VTROQUE IVRE HONORVM  
CANDIDATI

IO. GOTTLIEB LOESCHERI

VINARIENSIS  
IVRIS PRACTICI  
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DE EO  
QVOD IVRIS EST

CIRCA

PROBATIONEM ET DEMON-  
STRATIONEM IN FORIS  
SAXONICIS

MORE MAIORVM  
INDICIT.

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS.

*De hauctoriorum successione in feude*





**H**AERETICI, siue non toleratae in ciuitate sed  
et cuiusdam religiosae socii, ex duris illis  
Legibus Romanis,\* atque Pontificiis, ducto  
in ius beneficiarium arguento, cum pro  
non capacibus ad adquisitionem et succe-  
sionem feudorum habentur, tum inter caussas amissionis  
corundem haeresis connumeratur, quia ab homine tali diui-  
na maiestas veluti laedatur. Dant huius dogmatis in ex-  
ecutionem deducti copiosa exempla monumenta publica,  
priuataque Imperiorum regnorumque, quae Pontificiam  
Maiestatem adgnoscunt, ex quibus commemorabilia maxi-  
me excitare lubet eorum, qui pro testibus et confessori-  
bus veritatis magis, quam pro haereticis habendi, quibusque  
haeresis perperam imputata et successio in Feuda aut eorum  
possessio minus recte impugnata. Adgnouerat veritatem  
purioris doctrinae, magnae apud Neapolitanos nobilitatis  
dignationis ac fortunae vir **GALEACIVS CARACCIOLOVS**  
*Vici Marchio,\*\* obque hanc agnitionem, coniugem, libe-*  
*ros*

\* L. nimirum IV. C. de *Haereti-  
cis*, quae est Theodosii, Arcadii  
et Honorii AAA, aduersus Mani-  
chaeos et Donatistas edita, et argu-  
mento L. 4. C. de *Apostatis*, quarum  
Legum eruditam interpretationem  
dedit **IUSTVS MEIERS** Argento-  
ratensis Jurisconsultus non vulgaris  
doctrinae, egregio libro, cui Index:

*Quaestio capitalis: Vtrum Protestan-  
tes Iure Caesareo sint haeretici, Ar-  
gentorati 1621. 4. edito.*

\*\* debeo haec quatuor pagella-  
rum rarissime libello, qui hac in-  
scriptione editus: *Galeacii Carac-  
cioli Vici Marchionis Vita*, ex Italico  
Latina, A. 1706. 8. sine loci mentione,  
forte apud Helvetos, vel Hanouiae.

\* \* \* \* \*

ros suauissimos, parentem senem, adgnatos cognatosque, domesticos, opes insignes *Geneuam* tanquam in portum sedens, reliquerat, tortue artibus tentatus rarum constantiae Christianae exemplum dederat, sed hac sua pietate, quam in haeresi retinenda pertinaciam putabant, commoti qui rei sacrae et ciuili in Regno Neapolitano praerant, ex praescripto Legum DE GALEACI, tanquam REI MAESTATIS DIVINAE bonis maternis fisco attribuendis, deque SUCCESSIONIS IVRE IN FEVDIS PATERNIS NON IPSI SOLVM SED ET LIBERIS ADIMENTO, agebant. *Quod Marchionem\* miserum et aerumnosum senem ut ad Casarem proficisceretur, et huic malo si fieri posset occurreret hocque saltu imperaret ne FILII A ROMANA ECCLESIA DISCESSVS, NEPTVM SUCCESSIONI aut HONORI pratiudicaret, permouit.* Obtinuit quoque ab Imperatore satis aquo, quod petuit afflictissimus avus Marchio. In patria nostra Germania huiusque nobilissimis prouinciis *Saxonia et Misnia*, vbi Dei beneficio sacrorum emendatio copta, sub primordia huius repurgationis non vna vice quaestio fuit agitata an *Vasallii Evangelicae doctrinae sectatores*, hac sua veritatis caelestis confessione in haeresin fuerint prolapsi, *Feudorumque auctorum possessione, indigni?* Inferuit nobilissimis illis de *Lutheranismo Commentariis* vir laude nostra maior VITVS LUDOVICVS A SECKENDORF \*\* seriem memorabilis controversiae inter Dominum directum *Georgium Saxonie Albertinae Ducem*, qui magnopere Lutheranae causae aduersabatur, atque ANTONIVM A SCHOENBERG primariae nobilitatis in Misnia virum agitatum, hoc argumentum preclare illustrantem. Dabo eandem accuratissimis SECKENDORFII verbis, qui acta inspexit, quum in illis *Commentariis* vix alii talia requirat, ita conceptis: ANTONIVS A SCHOENBERG, arce Schoenberga aliisque praediis RELIGIONIS CAVSSA

)( 2

SA

\* verba sunt auctoris *Vitae Caraccioli* p. 40.

\*\* L. III. Sect. 19. §. LXXIII.  
Addit. I. p. 223.

SA deturbatus, eaque VENDERE AD ACTVS ante aliquot annos a Georgio Duce fuerat. Deinde cum solutam ab emtore pecuniam accepturum se esse putaret, excitati sunt eius adgnati ut contradicerent, neque flecti potuit Georgius, vel Schoenbergii precibus, vel multorum Principum intercessione, vt illi placaretur. Prouocauit igitur Antonius, ex legibus Imperii ad iudicium per arbitros constituendum, sive, quod vocant, Aufstregarum. Denominati sunt octo viri: *Ernæfus a Miltz, Marescallus aulæ, Christophorus ab Ebeleben, Melchior ab Offa Doctor, Henricus a Bünau in Wesenstein, Ludouicus Fachius Doctor, Nobilis a Lüttichau, Wolfgangus a Nismiz, Otto a Dieskau*; Praefes his datur *D. Georgius a Breitenbach*: Procurator Principis erat, vt tunc moris, ex nobilitate *Johannes a Kitzscher*; Aduocatus *D. Simon Pistoris Cancellarius*. Obiectum est Principis sive *Fisci* nomine *Schönbergio*, quod a VETERI RELIGIONE, quam PRINCEPS cum PROVINCIALIBVS profiteretur, DEFECISSET, conaciones Lutheranas adiret, Sacramentum sub vtraque a sacerdotibus non consecratis, nominatim a Schenckio, quem Henrico Duci concionatorem commendasset, sumeret, itemque quod illius consilio Freibergae veteres fundationes misfarum et anniuersariorum abrogatae, nouique ritus ipso visitatore introduci; propter haec itaque pro HAERETICO et excommunicato, adeoque NVLLIVS IVRIS, actionis aut POSSESSIONIS CAPAX HABERI deberet. Haec Aduocatus Fisci in ultima, quam vocant positione (*im letzten Satz*) admisicuit, (quibus Antonius, actoris partes suffinens, respondere non poterat;) itaque nihil aliud illi supererat, quam vt protestaretur, illa a iudicibus attendi non debere, neque se, sine legitima causæ cognitione in foro competenti, pro HAERETICO haberi, aut interim restitutionem spolii, quam vrgebat, denegari sibi posse; allegabat præterea se cum Electore Saxonie, Duce Henrico aliisque Protestantium Principibus et Ciuitatibus communem causam habere, non nisi in Concilio ventilandam. Ad haec Iudices

ees d. 3. Febr. hoc anno 1539. interlocuti sunt de HAERESI,  
cuius Schoenbergius insimulatus fuerit , et quae illam co-  
mitabantur, excommunicatione ac poena, ante omnia ab  
Episcopo Misnensi, vt Ordinario, cognoscendum esse. Haec  
sententia Schoenbergio molestissima erat, non solum ob su-  
spectum Episcopi iudicium, in quo absque dubio de HAER-  
ESI condemnandum se esse praeuidebat, sed et quod in-  
tereua neque PRAEDIA SVA, neque pretium venditionis re-  
ciperet, et quaestio de HAERESI non solum ab Episcopo  
protelari, sed et Roman denique deferri posset. De his  
itaque apud Electorem Saxonie et Landgrauium capita foe-  
deratorum, qui tunc Francofurti congregati erant, acerbe  
questus est, qui praeciducium sibi omnibus inde imminens  
ad animum reuocarunt, et de remedio se cogitatueros esse  
d. 10. Febr. per Electorem et Landgrauium responderunt,  
his inter alia verbis: *Das wissen wir, Gott habe Lob, und*  
*fonder männigliches Verkleinerung für wahr, daß mir und*  
*die Bekenner unser und der unsfern Lebre und Ceremonien al-*  
*ler KETZEREY und Aberglaubens unschuldig, wie man aber*  
*auff dem andern Theil vor Gottes Gericht, und auch vor sei-*  
*ner marhaftigen christlichen Kirche bestehen, und rechter*  
*Ketzerey und Abgoetterey sich entschuldigen und entledigen*  
*moege, wird sich, ob Gott, wohl finden.* Appellauerat Schoen-  
bergius ab interlocuto illo ad Cameram Spirensem, sed id  
non probabant Principes, neque villum inde remedium  
sperandum esse dicebant. Nemini autem talis in causa Feu-  
dorum, quorum dominum directum ad Georgium Ducem  
acerrum reformationis a Lutherbo suscepiae hostem, per-  
tinebat, procedendi ratio mira videri debet, cui nota sunt,  
quae in Comitiis Augustanis anni 1530. cum ipso Saxonie  
Electore Ioanne Constante, acta fuere. A Carolo V. Imp.  
Feudorum suorum ex parte Domino, per literas et legatos  
Inuestituram repetitis vicibus rite et more maiorum ac cu-  
riae petierat, blandis semper responsis lactatus ; in ipsis au-  
tem Comitiis, in quibus tot sui Conuafalli illustres fuere in-

augurati, rem vrgens, postquam Confessionem suam et fo-  
 ciorum tam admirabili constantia cum exhibuisset, tum  
 dogmata sua assertus est, responsum tulit, ex principio iuris  
 pontificii fluens, et sibi maxime graue, his inter alia, verbis  
 conceptum: *Dieweil aber Kayserl. Maj. befindt, daß (Elector)*  
*uff den übergebenen Artickeln (Aug. Confess.) und der Lar-*  
*darin begriffen wollen beharren, und nicht gedencken zuent-*  
*weichen, vnd Ir Kayserl. Mayt auch ein Seel vnd Gewissen ha-*  
*ben, vnd ybme nicht gerne wolten, wieder die Heilige Schrift*  
*fechten, Dieweil Ir. Kayserl. Mayt. der Kirchen Schützer vnd*  
*Handhaber ist, darumb sich unsrer gnädigster Herr vom GLAV-*  
*BEN und Irer Mayt. dermaßen nit solten trennen lassen vnd*  
*Bundnüs gesucht haben: So will Ir Mayt. nit gelegen sein,*  
*die LEHEN seiner ChurFürstl. Gnd. zuleiben, dieweil sie nicht*  
*wissen, was mann sich zu seiner ChurFürstl. Gnd. versken*  
*solt, wo sich aber sein ChurFürstl. Gnd. nachmals wolten be-*  
*dencken vnd darzu nit Vrsach geben, So wolten sich Kayserl.*  
*Mayt gegen seinen ChurFürstl. Gnd. gnädiglich damit halten.*  
*Solt aber mein gnädigster Herr darauf verharren wollen, vnd*  
*bey dem GLAVBEN, wie der vor Alters vnd über 20. oder*  
*30. Jahr gehalten, bleiben, so geben auch Sein ChurFürstl. Gnd.*  
*Vrsach, die REGALIEN nicht ZYLEIHEN, koente auch nicht*  
*bedenken daß sie es mit Gewissen thun moeckten.\* Addi pos-*  
*funt ACTA inter Albertum Brandenburgium Marchionem et*  
*Walterum Cronebergium ordinis Teutonici Magistrum.*  
*Condita autem faneitate Pace Religiosa a. 1555. et Westphalica,*  
*1648. \*\* omnis haereseos labes, Euangeliae doctrinae huius-*  
*que confessoribus male imputata, iuste est sublata, nemini que*  
*toleratis in Regno Germaniae religionibus addicto ob Ha-*  
*refeos crimen in Bona et Feuda succesio, quaeque hanc se-*  
*quuntur, nisi alia obsint, deneganda.*

Quae

\* quod relatum legitur in anno-  
tatione Cancellariae Electoralis in-  
festa JOANNIS IOACHIMI MÜL-  
LERİ Historie von der Evangelischen

Stände Protestant und Augspurgi-  
schen Confession L. III. c. XXII. p. 67r.  
adde Cap. VIII. p. 407.

\*\* I. P. Art. V. §. 35. et Art. VII.

\*\*\* 106 \*\*\*

Quae ex veteri more Academico praemittenda erant  
expositioni vitae studiorumque Nobilissimi nostri Candidati  
IOANNIS GOTTLIEB LOESCHERI, Vinariensis,  
Iuris Practici, quam ipsis stilo exarata, adiungo :

*Contigit mihi Vinariae nasci, anno huius Saeculi vigesimo primo, d. 29. Iulii. Patre genitus Viro Consultissimo amplissimoque FRIDERICO GOTTLIEB LOESCHERO I. V. D. aulae et regiminis in terris Vinariensis Aduocato Ordinario, Ciuitatis Vinariensis Syndico. Matrem vero colui ELISABETHAM AVGUSTAM, B. GOTHOFREDI REYHERI, consiliarii & commissionibus Serenissimi Ducis SAXO-VINARIENSIS, et Praefecti Roslauensis, ac Gelstaedtenfis, hereditarii in Zottelsdorf et Wersdorff, filiam, praematura morte mibi eruptam. Sacris et humanioribus litteris pater me domi institui sollicite curavit, et curae Viri clarissimi Dn. SCHROENII, Correctoris bodie Gymnasii Vinariensis optime meriti, mandauit, quo duce, via ad Gymnasium Vinariense mibi aperta est; in quo ex institutione Virorum doctissimorum B. Inspectoris KISEWETTERI, Directoris M. CARPOVII, Correctoris M. REINHARDI, M. SCHVSTERI et SCHROENII multum profeci. Anno 1741. praevio publico artium et styli examine, publiceque habita oratione valedictoria in numerum studioforum academiae Ienensis receptus sum Prorectore Magnifico illustri Consil. Aul. HILSCHERO, in qua, scolis philosophicis tam publicis quam priuatis Celeberrimorum et Amplissimorum REV SCHII et SCHIRSCHMIDTII frequenter interfui, absolutisque studiis philosophicis, totum me studio iuridico dedi, lectures tam publicas quam priuatas ICtorum celeberrimorum illustrium virorum B. KEMMERICHII, ESTORIS, BVDERI, B. SCHAVMBVRGII, ENGAVII, BROKESII, SCHIRSCHMIDTII sedulo frequentauit. Triennio ita absoluto ab illustri ICtorum Ienenum ordine ad Examina consueta admissus, facultatem obtinui ad summos in V. I. affirandi honores,*  
*bisque*


bisque praesidiis munitus ad causas clientum in foro agen-  
das accessi.

Quae virtuti et doctrinae debita praemia ad d. IIII. Au-  
gusti, in splendida Panegyri, Ordo noster lubens ipsi tribuet.  
Ante vero quam id fieri poterit ad Statutorum nostrorum nor-  
mam et ex Decreto Facultatis futuro die 2. Aug. sub praesidio  
illustris et consultissimi Viri HENRICI BROKES Pandecta-  
rum P. P. O. celeberrimi, Curiae Provincialis Facultatisque  
Iuridicae ac Scabinatus Assessoris grauissimi, College ob-  
seruanter colendi, Disputationem suam inaugurealem de eo  
quod Iuris est circa Probationem et Demonstrationem in Fo-  
ris Saxoniciis, publicae eruditorum disquisitioni submitte.  
Agite ergo Pro-Rector Academiae Magnifice, Pro-Rector  
Magnifice designate, Proceres omnium Ordinum honorati-  
ssimi, quique iurisprudentiae studiis et studiorum docu-  
mentis fauetis frequentesque hunc Actum splendidiorem  
reddite, et tam aurum quam animorum fauore memet cum  
Candidato meo demeremini, omnia gratae mentis argumenta  
communi nomine promittentem. P. P. in Academia  
Ienenfi d. 30. Iulii A. s. M DCC XLVII.



Jena, Diss., 1747







# CHRISTIANI GOTTLIEB BVDERI

SERENISSIMORVM SAX. ERN. DVCVM CONSIL. AVLICI  
IVRIS PUBLICI FEVDALIS ET HISTOR. PROFESS.  
FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORIS

ET H. T.

## PRO - DECANI

## PROGRAMMA

*329*  
*329*  
Q V O  
NOBILISSIMI  
SVMMORVM IN UTROQUE IVRE HONORVM  
CANDIDATI

IO. GOTTLIEB LOESCHERI

VINARIENSIS

IVRIS PRACTICI

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

DE EO

QVOD IVRIS EST

CIRCA

PROBATIONEM ET DEMON-  
STRATIONEM IN FORIS  
SAXONICIS

MORE MAIORVM  
INDICAT.

IENAE, LITTERIS RITTERIANIS.

*de haereticorum successione in feuda*

